

est, nec dependent in sui inhærentia ab aliqua extrinseca dispositione. Verum est, quod quantum ad usum, et exercitium illarum virtutum, quæ operantur circa passiones, impediuntur illæ virtutes, quæ sunt in voluntate, operari, si appetitus careat subjicibilitate ad rationem, et iudicio, sed hoc est ex defectu materiæ circa quam operetur illa virtus, qui defectus non destruit virtutem, sicut potest manere liberalitas in paupere, et virtus virginitatis in corrupta. Scientiæ similiter, et species intelligibiles manent in anima separata, quia spirituales sunt, et non habent a quo corrumpuntur stante illo subjecto, sed tamen mutant modum in cognoscendo, quia sine dependentia a phantasmatis existunt, de quo videri potest S. Thomas I p. quæst. LXXXIX, art. v et vi et super epistolam primam ad Corinthios, capit. XIII, lect. III circa illa verba: *Sive prophetiæ cessabunt, sive scientia destruetur.* In anima tamen dum est conjuncta corpori, quia non est alius modus operandi, quam cum conversione ad phantasmata, impedita phantasia, impeditur actus rationis, et discursus.

XVIII. Circa secundum modum corruptionis habituum ex defectu causæ conservantis, in habitibus acquisitis, non datur causa effectiva, a qua pendeant in conservari, solum enim dependent in fieri ab acquisitione actuum, quibus cessantibus non cessat habitus. Et ita nisi detur causa destruens, vel impossibilitans subjectum ad habitus, non destruantur ex defectu causæ conservantis. In habitibus tamen infusis desinant habitus ex impedimento influentiæ ipsius causæ conservantis, sicut ex impedimento influentiæ solis desinit lux. De hoc tamen agemus 2-2, quæst. XXIV, art. XII.

XIX. Circa tertium modum cor-

ruptionis habituum per omissionem exercitii, seu per oblivionem, certum est corrumpi habitus per cessationem, et oblivionem, ut experientia ipsa quotidie testatur. Et de scientia dixit Aristoteles libro de longitudine, et brevitate vitæ, capite secundo, quod: « Scientia corrumpitur in nobis per oblivionem, et per deceptionem, et per errorem contrarium. » Et de ipsa amicitia dixit in sexto ethicorum, capite quinto, quod: « Multas amicitias inappellatio (id est, non communicatio) dissolvit: » Quæ loca citat D. Thomas in hac quæstione LIII, articulo tertio.

XX. Sed difficultas est, an cessatio ab exercitio corrumpat per se; an per accidens ipsos habitus: et si per accidens, quomodo. Aliqui existimarunt corrumpi per se a cessatione actuum, quia intelligunt dependere habitus in sui conservatione ab actibus, non quidem ita quod debeat quis esse in continua operatione, ut habitus conservetur, hoc enim experientiæ adversatur, sed quia dependet ab exercitio aliquo, sicut per aliquod exercitium fuit acquisitus: fovetur enim, et conservatur actibus, sicut corpus conservatur cibo, licet non semper debeat quis esse in actuali manducatione. Et alia exempla sunt, quæ ostendunt dependere aliquos effectus a causa conservante, ita quod ex defectu illius desinant, non tamen ex continuo ejus influxu pendent, ita quod si in instanti essent, effectus desinat, sed dependent taliter quod diu sine tali causa conservari non possunt, ut cum etiam oculis clausis manent intra ipsos aliquæ species, vel aliqua lux licet parvo tempore, et in lapide manet impetus projicientis aliquo parvo tempore, et statim desinit ex cessatione influentiæ impellentis, sic habitus desinit ex cessatione actuum, quibus fovetur, et conservatur.

XXI. Nihilominus S. Thomas sentit in articulo tertio hujus quæstionis LIII, quod per cessationem actus solum corrumpuntur habitus tamquam a causa per accidens, quia datur locus contrariis corrumpentibus, ut possint habitum destruere, saltem indirecte. Et sic solum se habet cessatio actus sicut removens prohibens, quia removet detentionem, seu resistantiam contrarii, tollendo actum per quem repelleretur: cum intelligentia consistit in duobus. Primum in exclusione illius modi conservandi, quem ponit opposita sententia: secundum in explicatione hujus corruptionis per accidens, in quantum ex cessatione actus datur locus contrariis.

XXII. Primum excluditur ex hoc, quia causa solum duplici modo conservare potest, aut quia ex influxu illius dependet effectus totaliter in esse, aut quia dependet in subministratione materiæ, vel dispositionum requisitarum, ut conservetur forma, qua non conservata desinit. Primo modo adhuc dupliciter potest intelligi iste influxus causæ conservantis, quia vel conservat effectum permanentem, vel successivum, sicut est motus, et qualitatem datam per modum transeuntis, sicut motio quæ imprimitur instrumento, et impulsus projecto. Si est influxus causæ conservantis, quæ dat, et influit esse formæ permanenti, in quocumque instanti cesset influxus, cessat et effectus, quia illud esse indivisibile est, non successivum. Unde etiam si in instanti cesset influxus, cessat et ipsum esse, quod ab illo dependet. Si vero esse, quod dat causa conservans suo effectui est successivum, potest quidem in absentia causæ conservantis durare, scilicet toto tempore, et duratione successiva pro qua impressum est, nisi de novo instauretur. Et hac ratione motus impulsivus sonus, et aliæ res

successivæ possunt durare aliquantum in absentia causæ conservantis, quia esse quod ab ipso accipiunt transiens, et successivum est, licet etiam aliquando a suo contrario destrui possint, ut impulsus sursum a gravitatione deorsum; si vero impulsus sit etiam deorsum, detineri non potest ab ipsa gravitatione, quia illi non contrariatur, nec a corpore reperiuntur in contrarium, quia aliquando non datur, et cessare potest impulsus antequam tangit tale corpus, et sonus ipse desinit sine hoc quod tangat corpus obsistens, ut latius contra Vazquez, et Montesinos deduximus in physica, quæst. XXIII, art. secunda difficultate secunda. Si vero causa conservans secundo modo se habeat, scilicet, quod solum conservat præbendo dispositiones, aut subministrando materiam, ut res ipsa conservetur, talis conservatio si removeatur, detinet, et corrumpitur effectus, quia remotis illis dispositionibus, aut materia, datur locus contrarius ut formam destruant per dispositiones oppositas, sicut non ministrato cibo datur locus ut calor depascat humidum, et consumat, aut ut frigus supervincat et moriatur animal. Et sic absentia talis causæ solum destruit, et corrumpit per accidens tamquam removens prohibens.

XXIII. Nunc ergo ad rem deveniendo, habitus non dependet ab actibus tamquam ab influentibus esse permanentes, quod in se habet, sic enim in quocumque instanti cessaret influxus actuum, cessaret habitus, unde dormiente homine, habitus corrumpitur, quod est absurdum. Neque dependet ab actibus in aliquo esse transeunti, et successivo, quod recipiunt habitus, quia eorum esse successivum non est, neque transiens, sed omnino permanentes, et firmum, et sic non se potest habere ut impulsus, aut sonus,

Relinquitur ergo, quod solum possit destrui per cessationem actus tamquam per causam per accidens, quia remoto actu impediens contrarium destructivum, datur locus ut a contrariis habitus ipse destruat.

XXIV. Unde patet ad instantias contrarias, et exempla de conservatione per cibum, aut de cessatione impulsus ex defectu causæ conservantis, quia illa exempla jam soluta sunt. Ad illud vero exemplum de speciebus, vel luce remanentibus etiam in absentia objectorum intra oculos, respondimus in libris de anima, quæstione sexta, articulo tertio, juxta D. Thomam in libro de somno et vigilia, lectione secunda, quod ibi non manent species ab objectis emissæ ad oculos, quæ instantaneæ cessant remoto objecto, sed esse species, quas sensus ipse externus emittit ad sensum communem, quæ cum multæ, et vehementes sint quando imprimuntur ab aliquo excellenti sensibili, et magna attentione a vidente excipiuntur, non possunt ad sensum communem simul ascendere, quia multæ sunt ob copiam spirituum ibi concurrentium. Unde parvo tempore etiam clausis oculis, aut remoto objecto videntur omnia lucida, aut illius coloris, qui ante videbatur, occupante oculos illa multitudine spirituum cum retentione specierum, quæ sursum emittebantur ad sensum communem. Quod vero aliqui dicunt formari illos colores intra oculos ex commotione vehementi oculorum, et ita objectum quod tunc videtur esse intra oculos, contra omnem philosophiam est, quia visus non potest sentire objectum supra se positum, ut patet, quia non videt ipsas palpebras quando claudunt oculos, neque earum colorem, neque aliud objectum, quod supra se ponatur.

XXV. Sed tunc restat explicare

secundum, quomodo scilicet habitus per cessationem actus, et oblivionem corrumpatur, cum sæpe non occurrant contrarii actus, præsertim respectu habituum spirituum, qui sunt in intellectu, et voluntate. Tunc ergo per cessationem actuum non destruentur habitus, et tamen philosophus dicit, quod multas amicitias inappellatio dissolvit, cum amicitia sit in voluntate, et scientiam oblivio delet, cum tamen sit intellectu.

XXVI. Respondetur quod longa cessatione actuum interveniente, aut diuturna inappellatione semper occurrit aliquid contrarium, vel illi amicitia, vel illi scientia, non quod semper occurrat error, aut odium, seu inimicitia, quæ sunt contraria directe, et expresse, sed occurrunt aliqua contraria saltem indirecte, ut non curare de amico, nec de ejus communicatione, aut parvi aestimare, aut onerosum habere, vel tædio affici circa illum, quæ omnia etiam amicitia contraria sunt saltem indirecte, et tamquam contraria dispositiones pro requisitis ad amicitiam, et sic licet non generetur inimicitia, generatur tamen aliquid amicitia incompatible, ut parva cura, aut aestimatio amici, et similia. Et in intellectu licet non occurrat error, occurrit tamen ex oblivione dissolutio specierum, quibus componebatur discursus, sine qua compositione, aut dispositione præmissarum non stat scientia, et similiter oblivio medii ad demonstrandum, loco cujus generatur alia dispositio specierum, aut aliud medium cum quibus recta illa dispositio non compatitur. Et si hoc firmiter generetur, dissolvitur habitus scientia, quia hic generatur ex speciebus, et præmissis debite connexis, et dispositis.

XXVII. Et sic intelligo D. Thomam cum dicit in hac quæstione

LIII, art. III, quod cum cessat homo ab usu intellectualis habitus insurgunt imaginationes extraneæ, et quandoque ad contrarium ducentes, ita quod nisi succidantur, aut comprimantur, redditur homo minus aptus ad recte judicandum, et quandoque totaliter disponitur in contrarium. Ecce quomodo non solum per errorem contrarium, sed etiam per imaginationes extraneas et ineptitudinem ad recte judicandum (quod utique fit per hoc quod non debite sint dispositæ species) homo disponitur ad contrarium, et diminuitur, vel etiam totaliter corrumpitur habitus, ita quod non requiratur semper error, aut contrarietas directa, sufficit indirecta, aut virtualis, quæ tollat dispositiones unde habitus scientia consurgit, et sine quibus non subsistit, et loco scientia, licet non generetur error, generatur tamen ineptitudo ad recte judicandum, quæ etiam contrariatur scientia, et vel diminuit illam, vel totaliter corrumpit. Quod vero destruitur scientia per solam formam aliquam disparatam, non potest stare, quia disparatæ notitiæ compatiuntur cum scientia, nec illi ullo modo opponuntur, neque destruant.

XXVIII. Quod si demus casum, quod nihil contrarietatis etiam virtualis, et indirectæ insurgat contra amicitiam, vel scientiam, non destruetur habitus in tali casu etiam per longam cessationem ab actu, ut patet quando amicitia est firmissima, ut inter fratres, vel cognatos, aut quæ alias multum firmata est, hæc enim etiam cessante communicatione non solvitur, et scientia valde firmata fere nunquam per cessationem corrumpitur, sed facile homo ad usum ejus redit, licet non ita expeditum se sentiat. Unde existimo non quoscumque habitus per cessationem actuum corrumpi, sed

illi qui minus radicati sunt in subjecto, et facile dant locum contrariis. Unde et de habitibus primorum principiorum docet D. Thomas articulo primo ex philosopho, quod multa deceptione, aut oblivione possunt corrumpi: scientiam autem dicit posse corrumpi, vel ex propositione contraria, vel ex indebito processu rationis, quod utique pertinet ad dispositionem debitam specierum. Et sic docet clare nostram sententiam. Et non negamus posse impediri usum primorum principiorum ex defectu phantasmatum, aut alio impedimento, sed non corrumpetur habitus ille per oblivionem, quia non datur forma opposita, seu assensus oppositus ad prima principia, licet possit formari opposita propositio contradictoria, sed non potest ei præberi assensus, quia est contra lumen rationis. Prudentiam autem dixit S. Thomas non posse oblivione corrumpi, quia licet notitiæ in singulari, quæ deserviunt prudentia possint deficere, tamen quamdiu non desinit rectus appetitus, a quo pendet directio recta prudentia, non potest oppositum prudentia generari, quantumcumque enim quis ignoret, quod hodie est feria sexta, et comedat carnes, si voluntarie id non facit, non est imprudens, neque involuntaria carentia notitiarum prudentiam corrumpit, sed requiritur ad corruptionem prudentia corrupta aestimatio de agendis voluntaria.

XXIX. Quæ pertinent ad diminutionem habituum acquisitorum proportionaliter ad corruptionem eorum dicenda sunt, quia diminutio quædam corruptio est intensionis, vel extensionis. De diminutione vero habituum infusorum, an fieri possit quamdiu non amittuntur, sed permanent in subjecto, quia hoc solum posset fieri per peccatum veniale (nam mortale totaliter illos destruit,

ut infidelitas fidem) tractabitur in materia de charitate 2-2, quaestione XXIV, actus vero infusus posse diminui, et remissiores habitu esse constat, quia non dependent a solo habitu, sed ab auxilio Dei, et conatu potentiæ, et ista non semper sunt in gradu intensiori.

QUÆSTIO LV.

DE VIRTUTIBUS QUANTUM AD SUAS ESSENTIAS.

SUMMA LITTERÆ.

Quid D. Thomas consideret circa virtutes, et quomodo tractatum illarum dividat diximus in primo tomo, prima parte agentes de connexionione eorum, quæ D. Thomas tractat in hac summa. In præsentia agit de essentia virtutis in communi, discurrens per genus ejus, et differentiam, ut inde eliciat integram definitionem virtutis.

Sic ergo in articulo primo ostendit virtutem esse habitum (quod pertinet ad rationem ejus communem, et genericam) quia in potentiis quæ naturaliter non sunt determinatæ ad unum, id quod eas determinat, et disponit ad actus dicitur habitus. Et quia virtus est ultimum potentiæ, virtus erit habitus, quia ultimum est determinativum ejus.

In articulo secundo determinat, quod virtus est habitus operativus (quod pertinet ad differentiam magis contrahentem) ad differentiam earum dispositionum quæ sunt ad esse, et non ad operari, quia in præsentia agimus de virtutibus, quæ disponunt potentias racionales operativas in ordine ad suam propriam perfectionem et actum, qui est operari. Et sic oportet quod virtus rationalis sit habitus operativus.

In articulo tertio ostendit, quod virtus est habitus bonus (quod pertinet adhuc ad magis contrariam differentiam) quia virtus importat ultimum, et perfectum potentiæ, et sic virtus opponitur infirmo, et defectuoso. Quod ergo est virtus potentiæ est perfectum, et ultimum illius, ergo bonum, seu non defectuosum.

In articulo quarto, colligit ex dictis definitionem virtutis, quam tradit Augustinus II de libero arbitrio: « Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur. » Et si definiatur virtus infusa, additur illa particula: Quam Deus in nobis sine nobis operatur. Et sic comprehendit omnes causas virtutis: formalem dicendo: Quod est bona qualitatis: materialem, seu subjectivam in ly mentis: finalem, quæ est operatio dicendo: Qua recte vivitur: efficientem dicendo: Quod est a Deo. Objectiva autem non ponitur, quia hæc dat speciem, hic autem definitur virtus in genere.

QUÆSTIO LVI.

DE SUBJECTO VIRTUTIS.

SUMMA LITTERÆ.

Discurrit D. Thomas per omnes potentias, quæ possunt esse capaces virtutis, et ejus subjectum. Et ideo in primo articulo præsupponit virtutem de qua agimus in præsentia, esse in potentia tamquam in subjecto,